



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

III. De iis qui aliquos per vim & nefas captiuos tenent, excommunicandis,
nisi restituant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

fidelium ecclesiam quærunt collatis priuare dona-
riis , id conuenit inuiolabiliter obseruari , vt testa-
menta , quæ episcopi , presbyteri , seu inferioris or-
dinis clerici , vel donationes , aut quæcumque in-
strumenta propria voluntate confecerint , quibus
aliquid ecclesiæ , aut quibuscumque conferre vi-
deantur , omni stabilitate subsistant . Id specialiter
statuentes , vt etiamsi quorumcumque religiosorum
voluntas , aut necessitate , aut simplicitate , ali-
quid a legum sæcularium ordine visa fuerit discre-
pare , voluntas tamen defunctorum debeat incon-
cussa manere , & in omnibus Deo propitio custo-
diri . De quibus rebus si quis animæ suæ contem-
ptor aliquid alienare præsumperit , vsque ad emen-
dationis suæ , vel restitutionis rei ablatæ tempus , a
consortio ecclesiastico , vel omnium Christianorum
conuiuio habeatur alienus .

III.

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem
animæ suæ ita conati sunt , aut conantur assurgere ,
vt animas longa temporis quiete sine vlla status sui
competitione viuentes , nunc improba proditio-
ne atque traditione , aut captiuauerint , aut capti-
uare conentur , si iuxta præceptum domini regis
emendare distulerint , quoisque hos quos abdu-
xerunt , in loco in quo longum tempus quiete vi-
xerint , restaurare debeat , ecclesiæ communione
priuentur .

IV.

Illud etiam quod sancti patres salubriter ordi-
narunt , placuit iterari , vt si quicumque episcopus

xi. qu. 3. Si
quis a pro-
prio.